

fuerit, non fuit tamen *directe* absoluta a peccato complicitatis, siquidem illius oblitera est. Remanet enim peccatum illud materia necessaria potestati clavium apud judicem competentem subjicienda, ad remissionem *directam* ab illo obtinendam. Nam causa, qua jurisdiction Sacerdoti complici adempta fuit, est ipsum complicitatis crimen. Ergo, quamdiu illud crimen durat, jurisdictionis privatio necessario etiam perseverat. Atqui in casu crimen complicitatis perdurat, ratione obligationis illud confitendi judici competenti, qualis non est *VALERIUS*. Ergo... *Ituriaga*, t. 5, cas. 48.

626. — *R. ad 2^m Quæs.* Per se Sacerdos suspensus vel etiam excommunicatus omnino fuit præferendus; imo, illo præsente, Sacerdos complex minime moribundam absolvere potest; et si absolvat, excommunicationem incurrit. Ratio eruitur ex ipsis verbis Bullæ, in qua dicitur complicem non posse socium criminis absolvere, nisi in articulo mortis, et deficiente tunc *quocumque* alio Sacerdote qui Confessarii munus obire possit, vel nisi adsit periculum infamiae, modo curet omnino ut periculum illud removeat, et alteri *civiliter* Sacerdoti locus pateat. Porro verba *quicumque* *alius*, *alter* *quilibet* sunt generalia, et iis utuntur legislatores, cum omnes et singulos, nullo prorsus excepto, sub lege complecti intendent. Neque obstat quod Sacerdos suspensus vel excommunicatus jurisdictione careat, quia pro casu mortis facultate absolvendi minime destituitur juxta omnes. Ergo... *Ituriaga*, t. 5, cas. 50.

627. — Dixi *per se*, quia, præsente excommunicato *publico*, complex valide et licite absolveret, si secus periculum infamiae publicæ aut scandali securum esset. Periculum autem illud facile evenire posset, si Sacerdos complex excommunicato locum cederet: hoc enim esset argumentum non obscurum turpitudinis suæ præbere. Ergo, si *FLAVIANUS* fuerit publice *suspensus* vel *excommunicatus*, *ALBINUS* locum ei præcipere potuit quin excommunicationem incurrerit.

628. — *R. ad 3^m Quæs.* Tunc censuram effugisset. Etenim:

1^o Non incurrisset poenam pro sola confessione incepta, quia non incurrit illa poena nisi confessio absolutione compleatur, ut dictum est supra, *casu 14, in Resp. ad 3^m Quæs. n. 613.*

2^o Neque incurrisset absolvendo post mutatam voluntatem in melius et contritionem de illo peccato elicitam; nam nemo incurrit excommunicationem per actum qui ex una parte omitti amplius non potest, et ex altera parte omni culpa caret, imo factus est obligatorius. Etenim tunc incurrit excommunicatione quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur. At *ALBINUS*, audita *THERESIAE* confessione, eam absolvere cogitur; ergo excommunicationem non incurrit. *Ituriaga*, t. 5, cas. 50.

CASUS XX.

ABSOLUTIO COMPLICIS 7^o.

LUCIANA, *ROMANI* Sacerdotis in libidine socia, repentina morbo corupta, semianimis corrueens Sacerdotem postulat, et voce statim destituitur. Adstat illico *ROMANUS*, cui interroganti, nutibus illa respondet. Con-

tigit autem ut paulo post sublevaretur *LUCIANA* et melius se haberet. Tunc compertum est, illud quod apoplexia apparuerat, merum fuisse deliquum. Nescit autem *ROMANUS*, an incepitam confessionem *LUCIANÆ* perficere possit? Quocirca hæret dubius et anceps inter utramque partem titubans. Tandem absolutionem impertire statuit.

HINC :

- QUÆR. 1^o An *valida* fuisset *absolutio*, si *ROMANUS* *LUCIANAM* in *deliquio* *versantem* *absolvisset*?
 2^o An *ROMANUS*, *transacto* *deliquio*, potuerit *LUCIANAM* *absolvere*?
 3^o An *ROMANUS*, *complice* in *deliquio* *absoluta*, ejus *confessionem* *ratione* *integritatis* *perficere* potuerit?

SOLUTIO :

629. — *R. ad 1^m Quæs.* *Affirmative.* Ratio est, quia, ut Sacerdos complex jurisdictione potiatur, sufficit ut judicium probabile ferat de mortis periculo complicis, adeo ut ministerium suum prudenter exerceat haud secus ac si de alio quolibet ægroto agatur. Quid enim faceret Sacerdos quando deprehendit signa *quaæ* mortem imminere persuadent? Fieri quidem potest ut indicia illa sint æquivoca, sed etiam fieri potest ut sint indicia mortis vicinæ. Quid ergo *ROMANUS*? Quid alias Sacerdos quilibet in tanta animi fluctuatione? Nonne confessionem excipiet et absolvet? Numquid, in dubio, pœnitens periculo damnationis exponendus erit? Minime gentium. Non potuit enim talis esse mens Pontificis, qui animæ periclitanti succurrere voluit. Ast quomodo absolvere debebit? An absolute, vel conditionaliter? *Absolute*, quia certa est jurisdiction, licet dubium sit periculum. Pontifex enim non intendit jurisdictionem restringere ad certum mortis casum, siquidem Sacerdotis ministerium moraliter, scilicet humano modo, exercendum est. Porro sæpe valde difficile est ut homines mortem certam imminere sciant, etiam quando proxima est. *Ituriaga*, t. 5, cas. 49.

630. — *R. ad 2^m Quæs.* *Affirmative.* Ratio est, quia, quando confessionem audire incepit, id tantum ex jurisdictione a Pontifice habita facere potuit. Atqui jurisdiction valens tempore inchoatae confessionis perdurat donec pœnitens absolvatur; nam collata est pro confessione peragenda: non agitur autem confessio, nisi ad complementum ducatur. Sicut enim morte delegantis non cessat jurisdiction relative ad ea *quaæ* jam sunt incepta, ut ex Jure can. constat; ita etiam in foro interno, ob rationis paritatem, tamdiu jurisdiction permanere censemur, quamdiu confessio inchoata per absolutionem completa non fuerit. Alia ratio desumitur ex incommmodo maximo quod sequeretur, si pœnitens confessionem apud alium iterare deberet; hoc enim quam maxime ab Ecclesiæ benignitate alienum est. *Ituriaga, ibid.*

631. — *Objicies*: Elapso tempore jurisdictionis, Confessarius invalide absolvit; ergo a pari in casu præsenti *ROMANUS* absolvere nequit, quia elapsus est casus jurisdictionis, siquidem pro solo mortis articulo approbatus est.

R. Dist. Invalidē absolvit, si confessio non adhuc erat sufficienter inchoata, *C.*; secus, *N.* ex dictis superius. Itaque etiam ROMANO conceditur ut audire possit confessionem complicis non solum pro mortis articulo, sed ita ut, confessione incepta et non perfecta, jurisdictione perduret. *Ituriaga*, t. 5, cas. 49.

632. — *R. ad 3^m Quæs.* Distinguendum est: Vel LUCIANA peccata complicitatis omnia nutibus sufficienter expressit, vel non. Si prius, Sacerdos complex confessionem ratione integratatis perficere potest; secus non potest.

Ratio primi est, quia per absolutionem validam peccata complicitatis directe remissa sunt, adeoque ipsa complicitas directe destructa est, et Sacerdos complex sicut alius quilibet ab aliis peccatis absolvere potest. Peccata enim illa non sunt amplius materia confessionis necessaria, sed materia libera tantum, sicut peccata venialia, aut mortalia jam patefacta. Ergo jam non existunt ratione obligationis confessionis. Ergo ruptum est complicitatis vinculum, seu desiit complicitas, perinde ac si nunquam exstitisset.

Ratio secundi est, quia tunc adhuc perdurat complicitatis vinculum; peccata enim reliqua non nisi indirecte remissa sunt, utpote in confessione omissa. Ergo illa peccata remanent materia confessionis necessaria. Ergo non corruit complicitatis ratio, sed contra corruit jurisdictione.

633. — *Objicies* ex dictis supra: Res non est amplius integra; ergo licet Confessario eam perficere.

R. Non est verum, eam non esse integrum; nam integra facta est per ipsam absolutionem. Concessa autem absolutione, dataque ne pœnitens pereat, res in tuto est, et confessio integratur. Pœnitens enim, incepta confessione, jus habet ad absolutionem. *Ituriaga, ibid.*

CASUS XXI.

ABSOLUTIO COMPLICIS 8°.

MARCELLUS, Sacerdos, sermones impudicos et tactus graviter turpes cum AURELIO, amico suo, habuit. Dum autem ad confessiones audiendas incumberet, ecce adstat inter medios pœnitentes ipse AURELIUS, qui peccata cum MARCELLO patrata, et nondum accusata confitetur. MARCELLUS vero dubitat primum an possit eum absolvere. Sed mox scrupulum omnem exxit, quia reservatio afficere non videtur verba, neque tactus solos, neque peccata cum virili sexu commissa. Insuper, ait, si jurisdictione deficiat, stante errore communi, supplebit Ecclesia.

HINC:

- QUÆR. 1^o An tactus aut sermones turpes in materia luxuriaz reservati subjaceant?
 2^o An peccata etiam cum viro commissa?
 3^o An vero error communis jurisdictionem suppleat, quando absolutio complici indebet impertitur?

SOLUTIO :

634. — *R. ad 1^m Quæs.* Affirmat expresse S. Lig. n. 554, ubi ait: « Nomine peccati turpis, venit omne peccatum grave externum contra sextum præceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium, ut certe dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc judicio, » aliis immerito in dubium revocato. Ratio est, 1^o quia verba generalia generaliter accipienda sunt; 2^o quia leges etiam pœnales sunt in sensu proprio et naturali interpretandæ: porro in sensu naturali, verba Bullæ: *in peccato turpi atque in honesto, contra sextum præceptum,* « quæcumque peccata turpia sine dubio comprehendunt; 3^o quia finis hujus legis est removere occasiones, non tantum copulæ, sed omnis turpitudinis a sanctitate tribunalis Pœnitentiae. »

635. — *R. ad 2^m Quæs.* Affirm. Ratio est quia lex minime distinguit, neque restringit reservationem ad sexum femineum: verba enim Bullæ sunt omnino generalia; sic enim statuit: « Qui confessionem sacramentalis personæ complicis in peccato turpi contra sextum præceptum excipere audeat. » — Ergo reservatio ad sexum muliebrem non est restringenda. *Gousset*, n. 487.

636. — *R. ad 3^m Quæs.* Nego prorsus: absurdum enim sequeretur. Nam dicit Pontifex privari omni jurisdictione, ita ut absolutio sit omnino irrita. Verum, si suppleret error communis, nunquam fere absolutio invalida esset, siquidem jurisdictione quæ per Bullam Benedictinam complici adimitur, hæc eidem per errorem communem semper restitueretur, nec complex reapse illa privaretur, nisi quando complicitas absolventer omnibus innotesceret, quod vix contingere solet. Hinc lex Ecclesiæ omnino corrueret. Cæterum Pontifex per suas Constitutiones id maxime intendit, ut absolutio a complice impertita nulla sit, et frustra a pœnitente recipiatur ob jurisdictionis defectum in Confessario.

637. — Præterea Ecclesia, per errorem communem supplendo jurisdictionem, intendit consulere non aliquibus tantum qui decepti putarent jurisdictionem huic Sacerdoti inesse, sed multitudini hominum, communis persuasione id ipsum falso existimantium. Hinc error supplens jurisdictionem respicit multitudinem, cui Ecclesia favere intendit; non vero respicit paucos, praesertim cum lex eos punire velit, actus eorum irritando. Atqui, ubi agitur de complice absolvendo, duo tantum intersunt, Confessarius scilicet et complex, quos Constitutio Benedictina vult punire. Ergo privilegium in errore communis fundatum, nihil prorsus validitatib[us] absolutonis a complice impertitæ suffragari potest. *Ituriaga*, t. 5, cas. 47.

CASUS XXII.

ABSOLUTIO COMPLICIS 9°.

LIBORIUS, ad Sacerdotium candidatus, antequam Ordines sacros suscep[er]et, data infelici occasione, cum FLAVIA puella familiarius agere cœpit,

et in peccatum grave contra castitatem lapsus est. Poenitentia serio perfecta, emensoque studiorum theologicorum curriculo, ad sacram Sacerdotii dignitatem est evectus. Quum magno zelo in excipiendas fidelium confessiones incumberet, ecce adstat ipsa FLAVIA quæ declarat, se peccatum cum eo commissum hucusque præ verecundia celasse in præteritis confessionibus, et paratam esse ad confessionem abhinc instituendam. Addit FLAVIA, solatum sibi contingere quod ipsi LIBORIO confiteri valeat; imo se nemini alteri conscientiam suam aperire posse.

Quid vero LIBORIUS, his auditis? Hæret primum anceps; sed mox judicat se jurisdictione non destitui erga FLAVIAM, quia peccata ante Sacerdotium patrata sub lege reservationis non cadunt; quapropter complicitem audit et absolvit.

HINC :

QUÆR. 1º An peccata ante Sacerdotium commissa lege reservationis afficiantur?

2º An LIBORIUS excommunicationem incurrit?

3º Ad quid erga FLAVIAM teneatur?

SOLUTIO :

638. — R. ad 1º Quæs. *Affirmative.* Ratio est, quia verba legis accipienda sunt ut sonant; ex genuino autem sensu nullus Sacerdos complexum complicem criminis sui absolvere potest extra casum mortis. Ergo... Nec refert si criminis societas Sacerdotium præcesserit, necne; vinculum enim complicitatis per susceptionem sacrorum Ordinum non solvit, nec post Sacerdotium desinit Sacerdos esse complexus, qui prius complexus extiterat; siquidem, statim ac crimen commisit, se cum complice nodo complicatus illigavit, qui, suspectis Ordinibus, durat ac perpetuo durabit, donec per absolutionem ab alio Sacerdote impertitam dissolvatur. *Ituriaga*, t. 5, cas. 47.

639. — *Objicies* : 1º Bulla Benedictina declarat Sacerdotem complicitem jurisdictione privari, quod perinde est ac dicere per complicitatem privari jurisdictione : ergo supponit jurisdictionem inesse complici; ergo supponit complicitem esse Sacerdotem : nemo enim privatur re quam non habet.

R. Non urget argumentum. Sequeretur enim Sacerdotem, qui non erat approbatus dum crimen commisit, posse valide complicem absolvere si postea approbetur. Quis autem illud absurdum vorabit? Dico igitur, quod ille qui Sacris non initiatus peccat cum alio, nulla utique tunc jurisdictione privatur, quia nullam habet qua privetur, sed per complicitatem privatur habilitate ad jurisdictionem acquirendam quam Sacerdos factus et approbatus acquireret, nisi vinculo complicitatis impeditus fuisset. Hinc complicitas ante Sacerdotium, vel ante approbationem, consideranda est relative ad absolutionem instar impedimenti dirimentis ante matrimonium. Igitur non attendendum est ad tempus quo peccatum committitur, sed ad tempus quo absolvitur. *Ituriaga*, *ibid.*

640. — *Objicies* : 2º Non est attendendum tantum ad verba materialia legis, sed ad mentem legislatoris. Porro hic legislator, seu Summus Pontifex, voluit avertere Sacerdotes a peccato, et eos punire, si peccent : ergo noluit peccata ante Sacerdotium commissa comprehendere in lege reservationis.

R. Non valet objectio. Mens enim legislatoris, seu finis legis, non est solum punire Sacerdotes et eos a peccato avertere, sed est etiam impedire novum periculum peccandi, et promovere dignam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, cui sane absolutio proprii complicis adversatur; absolute enim est a Sacramenti dignitate et reverentia ut Sacerdos absolvat aliquem a peccato cujus ipse fuit particeps, licet complicitas Sacerdotum præcesserit. *Ituriaga*, *ibid.*

641. — R. ad 2º Quæs. LIBORIUS non incurrit excommunicationem, si bona fide processerit, seu ex efformata conscientia complicem absolverit, siquidem ad tantam poenam subeundam peccatum mortale requiritur. Porro ex casu non videtur de peccato gravi arguendus, et proinde a censura immunis judicandus est.

642. — R. ad 3º Quæs. LIBORIUS tenetur ad complicem admonendam de invaliditate absolutionis quam ei largitus est, non tamen cum gravi incommmodo, cum in hypothesi mala fide non egerit.

CASUS XXIII.

ABSOLUTIO COMPLICIS 1º.

Undenam facultas absolvendi repetenda?

1º BRUNO, Sacerdos, aliquo turpi peccato cum MARTHA patrato, per Confessarium recurrit ad Episcopum, tacito nomine proprio, atque ab eo facultatem obtinet qua complicem in confessione audire et absolvere queat. Postea autem de validitate hujus absolutionis dubitat, quia audit hujusmodi facultatem ab Episcopo concedi non posse, sed ad S. Sedem recurrentem esse.

2º ELIGIUS, alter Sacerdos, in peccatum grave contra sextum Decalogi præceptum infelicititer labitur, et infelicius complicem absolvere præsumit, adeoque scienter excommunicationem papalem incurrit. Quid faciet miser? Si celebret et Sacraenta varia ministret, sacrilegium reformidat. Si abstineat, grave periculum infamiae pertimescit. Deficit tempus ad Summum Pontificem recurrenti. Undique angustiis premitur. Verum, re perpensa, recordatur Episcopos absolvere posse a casibus occultis Sanctæ Sedi reservatis, si casus *Bullæ Cœnæ* excipiatur. Ocius igitur per confessarium ad Ordinarium loci recurrit, et facultatem obtinet qua ab illa excommunicatione absolvit possit.

HINC :

QUÆR. 1º An Episcopus Sacerdoti concedere possit facultatem complicitem suum absolvendi?

QUÆR. 2º *An Episcopus absolvere possit a censura quæ incurritur per absolutionem complicis, si casus sit occultus, vi privilegiorum Trident. c. 6, Liceat, sess. 24?*

3º *An saltem id possit, urgente gravi necessitate?*

SOLUTIO :

643. — *R. ad 1º Quæs.* Neg. Ratio est, quia lex prohibens ne Sacerdos complices absolvat, est lex generalis Ecclesiæ et gravissimi momenti. Porro Episcopi nequeunt dispensare in legibus Ecclesiæ generalibus, auctoritate propria, nisi in casibus minoris momenti, et in praxi frequenter occurribus. Constat etiam, tum ex praxi Ecclesiæ que Episcopis petentibus facultatem absolvendi complices ex Indulto particulari, pro quibusdam casibus numero paucis concedere solet; tum præsertim ex Constit. Apostolicæ Sedis, qua casus ille *speciali modo*, imo juxta decre-
tum S. Inquis. 17 jan. 1866, *specialissimo modo* Papæ reservatur. *Vide Comp. n. 584.* Attamen obtinent nonnunquam Episcopi, ut dictum est, peculiares facultates a S. Sede, quas utrum, quomodo et quando, possint inferioribus Confessariis communicare, ex verbis Indulti judicandum est.

644. — *R. ad 2º Quæs.* Casus ille controversiæ subjacet apud S. Lig. n. 550. Sic S. Doctor : « Videtur ex una parte negandum : nam, si Episcopus vel alias ab eo delegatus possent hunc casum absolvere quando est occultus, reservatio Pontificis evaderet *inutilis et elusoria*; casus enim hic non potest nisi occulte accidere... Attamen *probabiliter* vide-
tur posse dici, quod, etiam salva facultate Episcopis a Concilio imper-
titia absolvendi hunc casum quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur *inutilis et elusoria*: tum quia, licet ordinarie hic casus occultus sit, tamen aliquando potest accidere quod sit publicus, tum quia lex reservationis saltem Romæ locum haberet, et in locis ubi Tridentinum non est receptum, et ubi nequeunt Episcopi uti præfata facultate (absolvendi a casibus occultis), ut docent communiter Suarez, Sanchez, etc., quia fas non est ut fruantur privilegiis, qui onera repel-
lunt. »

645. — Attamen negativa sententia nunc omnino tenenda est. Et primo quidem, jam tenenda erat ante promulgationem Const. Apostolicæ Sedis, propter duas recentes Congr. S. Officii Decisiones quæ sequuntur :

Prima Consultatio.

« BEATISSIME PATER,

« Episcopus N** in Gallia, pedibus Sanctitatis Vestræ provolutus humiliiter exquirit :

« Utrum casus qui novis SS. Pontificum Constitutionibus post Conc. Trid. fuerint Sedi Apostolicæ reservati, comprehendantur in c. 6, sess. 24, de Reformatione, ejusdem Conc., saltem si in novis Constitutionibus non sit clausula derogatoria, ita ut, si ejusmodi casus sint occulti,

« Episcopus ab eis absolvere possit, sive per se, sive per alios Sacerdotes ab ipso delegatos? »

S. Congregatio Inquisitionis respondit die 18 Julii 1860 :

« Negative, et dentur Decreta S. Congr. Conc. Trid., quorum unum sub anno 1589, nempe : *Reservations casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in c. 6, sess. 24, de Reform.*, et præsertim de « clausura Monialium; et alterum sub anno 1595, scilicet : *Nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam Decreto c. 6, sess. 24, non extendi ad casus qui novis SS. Pontificum Constitutionibus post Conc. Trid. fuerint Sedi Apostolicæ reservati.* »

Secunda Consultatio.

« BEATISSIME PATER,

646. — « Episcopus N** in Gallia, ad pedes S. V. humiliiter inclinatus, dubiorum sequentium solutionem a S. Sede expostulat :

« Dubium I. — Utrum Episcopus habeat in sua diœcesi, extra Italianam, facultatem sive *per se*, sive *per delegatum*, absolvendi ab excommunicatione occulta quam Confessarius contraxit absolvendo extra articulum mortis complicem in crimen turpi? »

« Dubium II. — Utrum saltem habeat præfatam facultatem in casu quo, propter imminentis periculum scandali, aut alterius gravis mali, recursus ad S. Sedem fieri nequit opportuno tempore? »

S. Congreg. Inquis. propositis dubiis respondit die 18 Julii 1860 :

« Ad dubium I. — Negative, et dentur Decreta S. Congr. Conc. Trid. « Decretorum interpretis, quorum unum sub anno 1589, videlicet : *Reservations casuum de novo post Conc. non comprehenduntur in c. 6, sess. 24, de Reform.*, et præsertim super clausura Monialium; et alterum sub anno 1595, nempe : *Nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam Decreto, c. 6, sess. 24, non extendi ad casus qui novis SS. PP. Constitutionibus post Conc. Trid. fuerint reservati.* »

« Ad dubium II. — Consulat Decretales Clementis III, relatas cap. 15, « Cum desideres, et cap. 26, Quod de his, de Sent. excomm., et probatos Auctores, inter quos S. Alphonsum de Ligorio, lib. 7, c. 1, de Censuris, n. 84 ad 92. » — *Vide Bouix, Revue des sciences ecclésiastiques*, n. 4, 20 Avril 1861.

At præterea sententiam eamdem negativam solam nunc admitti posse, constat ex Bulla Apostolicæ Sedis, qua expresse a privilegio cap. Liceat excipiuntur casus omnes Pontifici Romano *specialiter* reservati, adeoque casus complicitis.

647. — *R. ad 3º Quæs.* Affirmandum videtur. Etenim Episcopi generaliter absolvere possunt a casibus papalibus eos qui non possunt ad Sanctam Sedem recurrere, imo qui non possunt personaliter Romam ire, licet per epistolam absolutionem petere valeant. Casus autem gravis infamiae, aut necessitas urgens absolutionis ad Sacraenta ministranda, ad celebrandum, etc., impedit recursum ad S. Sedem. Ergo...

Hæc quæstio proposita fuit S. Congregationi Inquis., ut patet ex postulato posteriori, modo relato. S. Congr. noluit directum responsum dare, et remisit ad Decretales plures Clement. III, necnon ad probatos Auctores, præsertim ad S. Ligorium. Porro, in locis citatis Juris, et S. Alphonsi, non agitur nisi de illis qui impediuntur ire Romam in genere. Licet igitur inde concludere, Episcopum absolvere posse stante gravi periculo in mora, sicut in casu nostro refertur, quia recursus ad Papam est moraliter impossibilis.

CASUS XXIV.

SOLlicitatio AD TURPIA 1°.

VIBIANA, mulier vitæ liberiori dedita, pluries turpiter egit cum ipso Confessario, a quo tum in confessione, tum occasione confessionis ad peccandum sollicitata fuerat. Hoc in variis confessionibus sacrilege reticuit. Nunc vero, audita vehementi concione, et dolore cordis tacta intrinsecus, confessionem generalem apud URBANUM Parochum instituit, et omnes animæ sordes ei pandit. His auditis, URBANUS urget VIBIANAM ad complicem Superioribus denuntiandum. Mulier autem huic jussioni obtemperare absolute abnuit. Quapropter eam de excommunicatione post mensem incurrenda, nisi obediat, debite monitam absque absolutione dimittit.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quinam sollicitantes denuntiandi sint?*
 2° *An absolvi possit pœnitens sollicitatus, antequam sollicitatem denuntiet, si denuntiare promittat?*
 3° *Quomodo facienda sit denuntiatio?*
 4° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

648. — R. ad 1^m Quæs. De jure communi Superioribus denuntiandi sunt Sacerdotes ad peccandum contra sextum Decalogi præceptum sollicitantes, sive in *in confessione*, sive *occasione*, *prætextu*, vel *simulatione confessionis*, aut *ante* vel *post confessionem*, aut *in loco ubi confessiones excipiuntur*. Sic ex Bulla Gregorii XV, *Universi gregis*, confirmata a Bened. XIV, in Bulla *Sacramentum Pœnitentiarum* (1).

(1) De jure particulari in nonnullis locis, præsertim in variis Galliarum diocesisbus vigente, datur obligatio denuntiandi Sacerdotes ad turpia sollicitantes, etiam extra confessionem et sine occasione confessionis. Verum plures canonistæ, præsertim recentiores, negant Episcopum hujusmodi statutum ferre posse. Sic Stremler, *Traité des peines ecclésiastiques, première partie*, c. 5, § 8, et c. 7, § 1. — Craisson, *Manuale Juris canonici*, n. 5826-5828-5844. — Analecta Juris Pontificii, tom. 4, p. 1866 et seq.

Inter varias rationes in quibus innititur horum sententia, hæc præcipua nec spernenda refertur, scilicet quia Episcopus est incompetens ad puniendum delictum occultum. Etenim, aiunt, Episcopus, quantumvis certioratus de existentia delicti sibi manifestati, nullo modo contra reum procedere potest, propter defectum omnis probationis canonicae et juridicæ; quia nemo potest damnari, nisi vel confessus judicialiter, vel legitimis testibus et probationibus convictus. Quod si aliter statuatur contra Confessarios in confessione, vel occasione confessionis ad turpia sollicitantes, hoc fit per exceptionem omnino extraordinariam, quam Summus Pontifex solus facere potest.

R. ad 2^m Quæs. Neg. per se, quia, semel absolutus, facile onus denuntiationis declinaret, et sic lex fere inutilis redderetur. Excipe si justa adsit causa, v. g. si temporis angustiae absolutionem differre non patientur, et pœnitens promittat se brevi obligationi satisfacturum esse. Sic ex Bulla Bened. XIV. S. Lig. n. 693.

649. — R. ad 3^m Quæs. Denuntiatio plerumque facienda est voce, non scripto; adeundus est loci Ordinarius, vel inquisitor, ubi tribunal Inquisitionis existit. Attamen, in quibusdam casibus particularibus, v. g. quando persona sollicitata nullo modo induci potest ad denuntiationem tali forma peragendam, quia nempe timore cohibetur, vel rubore insuperabili afficitur, tunc Episcopus, de re monitus, delegare potest quemcumque Sacerdotem, etiam Confessarium, ad denuntiationem accipiendo. Hæc facultas Episcopis et Inquisitoribus, ex Indulto S. Inquisitionis, de consensu S. Pontificis, facta est. Sacerdos autem delegatus juramentum præstare debet de silentio servando, et de munere sibi commisso fideliter adimplendo. Scavini, *de Pœnit. c. 4, art. 5.* — Kenrick, *Tract. 18, n. 245.*
— Analecta Juris Pontificii, mense Septemb. 1855.

In omni autem casu denuntiatio facta per litteras anonymas est omnino insufficientis, et a S. Cong. Inquisitionis omnino reprobatur. *Analecta, ibid.* Ratio est, quia secus nullius roboris foret testimonium denuntiantis; et insuper, maxima incommoda inde subsequi possent, v. g. mulier quæ, ex invidia aut ex animo vindictæ, Sacerdotem innocentem perdere vellet, varios Confessarios adire posset, et apud singulos se sollicitatam esse ab aliquo Sacerdote referre, ut ad denuntiationem faciendam urgeretur. Quid autem inde? Denuntiationes multiplicatæ, quæ, licet ab eadem sacrilega muliere fierent, a diversis tamen sollicitatis provenire viderentur.

650. — R. ad 4^m Quæs. Recte egit URBANUS, Parochus, VIBIANAM absolutione vacuu[m] dimittens, eam de excommunicatione incurrenda admonendo, nisi intra mensem obtemperaret, ex eo quod Sacerdotem, a quo in confessione fuerat sollicitata, denuntiare noluerit. Nam constat 1^o de obligatione denuntiandi sollicitantem ante absolutionem, si fieri possit, ex verbis Bened. XIV, in Bulla *Sacramentum Pœnitentiarum*, ubi dicitur: *Caveant diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum potuerint, delatu[ros] spondeant ac promittant.* 2^o Constat vero de excommunicatione ex duplice Edicto S. Cong. Inquis. 3 Jan. 1623, et 10 Martii 1677; ac præsertim ex Const. Apostolicæ Sedis ser. 4. Excom. 4. — Excommunicatio autem illa, contracta ob denuntiationem neglectam, non est reservata post factam denuntiationem.

651. — NOTA 1^o. In omni casu nulla mentio facienda est in denuntiatione consensus forte a pœnitente præstiti, quia nemo tenetur se ipsum denuntiare. Insuper, pœnitens qui consensum sollicitationi præstitit, non ideo excusat ab onere Confessarium sollicitantem denuntiandi, ut constat ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiarum*.

NOTA 2^o. Persona quæ non potest denuntiare voce, tenetur per episto-